

De Nioba

Aemilia cum ancillis suis in horto est et liberos suos qui currunt, ludunt et rident spectat. Post laeta ad Syram se vertit et ei dicit : «Quam pulchri liberi mei sunt ! Nonne Quintus tam altus est quam arbor? Nonne Marcus tam formosus est quam deus? Iulia mea autem tam pulchra est quam lilium!»

Dominae suae Syra respondet : «Tace, domina! Cum homines superbi sunt, ira deorum magna est. Nam semper dei beatos homines puniunt. Hanc fabellam audi quam Graeci pueris narrant de Nioba. Nioba¹ regina Thebarum, magnae urbis, mater multorum liberorum est, septem filiorum et septem filiarum. Ea ridit Latonae deae, quae duos tantum filios habet, sed Latonae liberi dei sunt. Filius Apollo est, a quo sol vehitur in coelo, filia Diana, quae domina ferarum et lunae est. Latona superba verba quae Nioba facit de liberis suis audit (nam semper hominum verba a deis audiuntur). Tum² irata liberos suos ad se vocat et eis imperat : «Femina est in terris quae nimis superba est et Latonae ridet, quia quattuordecim liberos habet, ego autem duos tantum ! Tum de Olympo descendite et sagittas³ vestras vertite in liberos eius: tu, Apollo, filios occide, tu, Diana, filias!».

Liberi ei parent, de coelo descendunt et Niobae liberos occidunt. Nioba perterrita videt pueros puellasque suos qui humi⁴ sine vita iacent.

¹ In italiano si preferisce la forma greca Niobe.

² “allora”

³ Il vocabolo italiano “sagitta” (dal lat. *sagitta*, *ae* = freccia) è scomparso; ricordiamo però (i segni zodiacali !) che il Sagittario è un centauro armato di frecce.

⁴ “a terra”

Misera femina plorat neque tergere lacrimas suas potest. Denique dei eam mutant in fontem, qui semper, hieme aestateque, aquam suam dat feminis Thebanis. Ergo, domina, deos deasque time et tace. Tum Aemilia liberos suos aspicit et dicit: «Marcus puer improbus est, Quintus nimis crassus, et Iuliae nasus foedus est». Deinde liberos suos ad se vocat et eis multa oscula dat.

(Ivana Milani)